

nemo verè catholicus non sentit quām hæc disciplina tum Ecclesiæ unitatem contra schismatum tentamina, tum ejusdem dignitatem ac libertatem contra sacerdotalium potestatum pressiones, feliciter protegat. Multò enim faciliùs ac tutiùs electo qui suspectus habetur, institutio à S. Pontifice denegatur, quām auctoritas semel adepta pastori indigno tollitur; nec parùm certè schismata Orientis juvit illa usquedum protracta consuetudo auctoritatem provisorie ingrediendi ante pontificiam confirmationem (1).

**Observatio quoad ipsum S. Pontificem :** Qui nempe quum nullum habeat superiorem, nullius consensum habet exspectandum; sed in sedem Petri et auctoritatem ei à Christo annexam constituitur eo ipso quod certò electus est juxta regulas usu vel prædecessorum decretis approbatas (2). — (De casu autem dubii, V. suprà, p. 213).

Illæ porrò regulæ ferè non aliæ ab initio fuere ac pro cæteris Episcopis, ita ut scilicet romanus Pontifex eligeretur per clerum et populum Urbis cum Episcopis viciniis, vel dein per Clerum solum cum Episcopis suburbicariis, ac demum per solos Episcopos, Presbyteros et Diaconos Cardinales, id est titulares (juxta modum loquendi tunc apud plures ecclesias adhibitum, nunc autem soli Ecclesiæ ro-

---

massin., op. cit. t. II, l. II, c. XLIII, n. 12), usquedum penitus abrogaretur ex Concordato Leonis X cum Francisco I (Blanc, leç. CL, 1), atque in Conc. Lateran. V oecumenico damnaretur eo quod « schisma manifestum foveret et contineret » (Constit. *Pastor æternus*, ap. Labbe, t. XIV, p. 310). — Rursus tamen aliquid hujusmodi multòque etiam pejus à Pio PP. VII extorquere attentavit Napoleo Imp. I, his in articulis qui malè dicti sunt *Concordat de Fontainebleau* (V. Blanc, leç. CCIII, 11; CCIV, 1-3).

(1) Cfr recentem SS. Pii IX *Encyclicam*, 6 Jan. 1873, *ad Armenos*, n. 34: « ... Nemo autem non videt, ita tuius provideri catholicæ fidei conservati, quam perturbare pro lubitu posset ante receptam Apostolicam confirmationem qui tanto indignus officio in patriarchalem sedem insiliret; vel certè perturbationum occasiones præpediri, quæ oriri possent si quando electus patriarcha, à S. Sede Apostolicâ rejectus, è suo loco cedere deberet; » (Ap. *Analecta Juris pontificii*, 12<sup>e</sup> série, 1874, p. 881) — Itidem et gallicè, ap. *l'Univers*, 22 febr., suppl.; vel ap. *Annales cathol.*, mars 1873.

(2) Suarez: *De Legibus*, l. IV, c. iv, n. 11 jam cit.

manæ reservatum). Hinc autem, quum horum *Cardinalium* românorum munus, sive ratione electionis, sive ratione consilii quo etiam Pontificem juvant, magni fieret momenti, jam in illos titulos viri quique in Ecclesiâ præstantissimi vocari coeperunt non è civitate româna solùm sed undeque, præsertimque, ut pronum erat, è natione apud quam commorabatur Pontifex; atque ita factum est ut plerique Itali fuerint, quando commoratus est in Italiâ, Galli quando in Galliâ: seu potius, quia universæ Ecclesie hoc eorum munus interest, jam S. Bernardus suadebat ut eligerentur de toto orbe, orbem judicaturi (*De consider.*, ad *Eugen. Pap.* III, l. IV, c. iv, 9); itemque Concilium Trident. commendat ut « SS. Rom. Pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commodè fieri poterit, prout idoneos repererit, assumat. » (Sess. XXIV, *De reform.* c. 1): quod reapse aliquatenus efficere sive ex se sive ad præsentationem Principum Romani Pontifices incœperunt. Atque hinc Papa, quemadmodum, è successione Petri, vicarius Dei jure divino semper existit; ita, ex electione suâ, jam aliquo sensu haberi potest, vel humano jure, totius Humanitatis catholicæ repræsentator.

### CAPUT TERTIUM.

#### DE EXERCITIO AUCTORITATIS IN ECCLESIA CHRISTI.

Quum Auctoritatis tum doctrinalis tum legislativæ in Ecclesiâ Christi existentiam probavimus (Cap. I<sup>o</sup>), et totam illius constitutionem, quatenus è jure divino fluit, expendimus (Cap. II<sup>o</sup>), nunc videre est, in hoc Cap. III<sup>o</sup>, quænam in objecta et quonam modo sese exerceat illa Auctoritas, sive quatenus doctrinalis, sive quatenus legislativa; sed, ante omnia, ponenda est sequens

**60. — Propositio :** *Illud certè, sive in doctrinâ, sive in disciplinâ, Auctoritati ecclesiastica subjacet, quod ipsa tanquam sibi à Christo subjectum teneri absolutè injungit.*

Auctoritas enim ecclesiastica, utpote infallibilis interpres doctrinæ Christi, huic doctrinæ non modò non potest quidquam detrahere sed nec addere (V. suprà n. 14

et ss.). — Atqui si aliquid tanquam sibi à Christo subditum teneri absolutè injungeret quod reverà non ita sibi subditum esset, jam certè doctrinæ Christi adderet. — Ergo jam non esset infallibilis.

Et inde 1º ipsa penè omnino inutilis fieret; nemo enim de ullo puncto jam ei posset fidere, antequam ipse per se examinasset saltem an istud punctum reverà ad doctrinam Christi pertineat. — Unde 2º, quum privatum istud examen plerisque impossible sit, Religio Christiana penè tota plerisque impossibilis fieret et evanesceret, non aliter ferè ac in Protestantismo aperto : — 3º demum ecclesiastica certè societas mox dissolveretur; quum jam Auctoritas, ex unâ parte, omnes juberet aliquid profiteri tanquam à Christo revelatum vel exsequi tanquam è potestate ipsi per Christum datâ præceptum; ex alterâ autem parte, quotquot rectè intelligentes quid Christus reapse revelaverit aut cuiusnam rei potestatem Ecclesiae suæ tradiderit, jam Auctorati jure obsisterent, et ab eâ consequenter non unus tantum aut alter sed omnes ferè undequaque separarentur.

Atqui hæc omnia, stantibus Christi promissionibus, certè fieri nequeunt. — Ergo abundè constat thesis.

Hinc 1º non licet timere, uti quidam hodie non adeò rari affectant, ne Ecclesia aut Papa extra forum suum egrediendo, aliquid falsi definiat (1), vel declinare Ecclesiam

(1) Hac certè ratione multi reformidare affectabant definitivam ab Ecclesiâ admissionem *Infallibilitatis Papalis*, et hujus infallibilitatis negationem in IVº Articulorum gallicanorum expressam ostentabant veluti *Palladium* sive independentia Principum in Iº articulo assertæ, sive libertatis cultuum à multis etiam, instar dogmatis, habitæ (V. suprà, p. 170). — Cfr magistratus Ludovici XIV, cit. ap. D. Gérin : *Rech. histor. sur l'Ass. de 1852*, p. 21; et recentius D. Roulard ap. *Senatum Imperiale*, 11 mart. 1685). — Verum, si tantisper adhuc catholici, liceat ad eos dicere : *Quid timidi estis, modicæ fidei?*... Si Ecclesia Papam infallibilem jam agnoscit, ergo ille reverà est infallibilis. Si reverà est infallibilis, ergo non est timendum ne

aut Papæ definientis auctoritatem, eo prætextu quòd punctum definitum extra forum Ecclesiæ, nostro judicio, versetur.

Hinc 2º cuiquam interroganti, ut hodie etiam non rarò contingit : « Quid tu, ô bone, si Auctoritas quam infallibilem evidenter demonstratam habes, aliquid definiret quod aliunde agnosceres evidenter falsum, v. g.,  $2 + 2 = 5$ , vel licitam esse blasphemiam?..., » nihil aliud reponendum est nisi *hanc esse hypothesim impossibilem*. Secùs enim, sive respondeas : *crederem*; sive : *non crederem*; jam non catholicus aut protestanticus, sed scepticus universalis fias, necesse est, utpote evidentiam evidentiæ oppositam admittens. — Idem est nempe ac si diceretur : « Quid tu, si videres id evidenter demonstratum quod aliunde evidenter falsum cerneres (1)? »

Hinc 3º quando agetur de objectis Auctoritatis ecclesiasticæ determinandis, in hoc procedere erit non tantum *a priori*, ex naturâ rerum aut tenore verborum Christi, sed et præcipue *a posteriori*, ex agendiratione ipsius Ecclesiæ, statim ut potuerit cognosci.

His igitur positis principiis, nunc speciatim agendum est, tum quoad objectum, tum quoad modum, de exercitio 1º auctoritatis *doctrinalis* et 2º auctoritatis *legislativæ* : unde duplex articulus.

ullo modo, nec etiam extra forum suum egrediendo, aliquid falsum definire attinet. Proindeque, si independentia Principum vel libertas cultuum, prout illas intelligitis, sunt vera, certè nullo modo damnabuntur, neque quid pro eis timendum habetis. Si damnantur, certè sunt falsæ, neque est cur ab iis eximi doleatis, quum magis debeatis gaudere et Deo gratias agere (uti agit, v. g., Lacordaire : *Considérations sur le syst. de Lamennais ; Conclusion*, circa med.).

(1) Cfr eudem Lacordaire ad Montalembert, ap. *le Correspondant*, 25 juin 1872, p. 1002, 1004.